

reportaverit matrona illa præmium, anque fides infidæ huic morbos curandi methodo sit adhibenda, Tu Ipse L. B. judicabis. Denique, si hæc aliaque remedia sympathetica, secundum principia medicamentorum agendi, cognoscendique examinemus, facili patebit negotio, eorum qualitates nullo modo ejusmodi viribus esse instructas, quæ morbis resistere valerent. Quis itaque ejusmodi remedia non optimo jure maxime dixerit infida?

Superstitiosa.

(b) Superstitiosa quoque dicimus Remedia Sympathetica, idque non sine ratione. Quæcunque enim res viribus ad id præstandum, quod debet, naturalibus non est instructa, id tamen nihilominus agere creditur, ea jure dicitur superstitiosa. Poterit remedium mox allegatum contra febrem quartanam esse exemplo. Sane stupor occupat animum, si stolidissimam & abominabilem illam Vulgi & Medicorum sympatheticorum, eadem, ac ille, prudentia præditorum, in adhibendis ejusmodi absurdis remediis consideremus superstitionem. Quis enim tandem adeo infanus esset, qui crederet superstitiosis WECKERI nugis L. V. de Secr. p. 117. referentis, *febricitantes sive ex tertiana, sive ex quartana, sive etiam quotidiana, liberari, si resegmina unguium ex manibus & pedibus depromta ceræ involvantur & matutino tempore ante solis ortum januæ alienæ affigantur.* Aut quis illorum fidem adhiberet dictis, qui, ut SCHROEDERVS Pharmac. Med. Cbym. L. V. pag. 826. habet, *segmenta unguium, eundem in finem ovo includunt, avibusque devoranda objiciunt, vel dorso cancri vivi eadem alligant, cancrumque fluenti immittunt, licet ejusdem experimenti (mirabilis & in naturæ majestate plane reconditi & abstrusi) si opus esset, se producere posse testes, qui id non semel documento comprobarint, gloriatur* CAME-
RA-